

N. Testimonia Aug. agunt solum de delectatione, quæ *deliberationem* sequitur, et liberæ est electionis.

Patet id imprimis, quia in utroque textu fit mentio actionis per verba: *Nolunt facere, quod justum est; fieret justitia*; quæ non tantum voluntatis actum deliberatum priorem, qui est consensus; sed et posteriorem, qui intentio vocatur, atque hinc *deliberationem* exigit: tum quia ex principiis S. Aug. delectatio et dilectio justitiæ sunt quid unum et idem, in utroque autem capite dilectio deliberata asseritur: in fine quidem prioris, n. 27. *Tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, auctor qualiumcumque bonorum omnium*; similiter cum in fine posterioris dictum esset: *Nisi tantum delectet, quantum diligendum est*; postea c. 36. orditur ab expositione justitiæ per duplex præceptum dilectionis: denique quia *scopus* utrobique intentus exigit intelligi motum voluntatis liberum.

*Inst. 4.* Necessè esse, ut voluntas sequatur majorem delectationem, docet idem S. Doctor in exposit. ad c. 5. ep. ad Galat. n. 49. *Quod amplius no delectat, secundum id operemur, necesse est*; et L. de spir. et litt. cap. cit., ubi n. 63. ait: *Quis nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi tantum delectet, quantum diligendum est.*

R. D. Ass. Necessè est, ut voluntas sequatur majorem delectationem indeliberatam N. ut sequatur majorem delectationem deliberatam *subd.* necessè est necessitate stricta et antecedente N. minus stricta et consequente, quam passim intelligit S. Aug. usurpando vocem *necessè*, ut ex L. 5. contra Jul. c. 16., L. 1. de nupt. et concup. c. 12., etc. patet C. Textum *primum* intelligendum esse de libera et *deliberata delectatione*, patet

1°. Ex *ipsis verbis*; tum quia hæ voces, *hoc me delectat, hoc mihi placet*, in sensu usitato actum voluntatis liberum significant: tum quia non dicit: quod amplius nos delectat, secundum hoc *velimus*, necesse est, sed, *operemur*, necesse est; et paulo post: *secundum hoc vivimus, secundum hoc operamur*; adeoque non agitur hic de delectatione, quam immediate sequitur volitio; sed quam proxime excipit *actio externa* et vivendi ratio: atqui delectationem indeliberatam non immediate sequitur actio externa, sed intermedia, tum voluntatis consensus, tum propositum efficax et electio, quæ deliberatæ delectationes sunt necessitate consequente inferentes actionem externam; ergo.

2°. Ex *æquipollentia sensus*; quia axioma allatum æquivalet huic: Quod amplius dilexerimus, secundum id nos vivere, seu operari manifestum est; quam propositionem in eadem expositione ad proximos versus quasi prioris repetitionem subjicit.

3°. Ex *contextu*; quia objectæ propositioni continuo hæc subjunguntur: *Ut verbi gratia occurrit forma speciosæ femine, et movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur*; ubi sicut *delectatio fornicationis* intelligitur deliberata, utpote distincta a motu tentationis indeliberato præcedente et movente, sic etiam major delectatio cœlestis ex motu castitatis indeliberato

proveniens pro *complacentia libera* est habenda: maxime cum hic ponatur tanquam proximum actionis et instituti vivendi principium.

4°. Ex *scopo vel occasione*; quia ubi hanc sententiam profert S. Doctor, expendit verba Apostoli, quæ enuntiant, non esse sub lege ductos a spiritu, probatque illos spiritu duci, in quibus fructus S. Spiritus, *charitas* nempe, *gaudium, pax*, etc. regnant, illos autem non duci, in quibus regnant *peccata*, ac demum unius præ altero regni eminentiam ad majorem delectationem vel in his fructibus, vel in peccato reducit: unde sicut hæc regna eorumque distinctiva actus *liberos* designant, sic et pro eminentiæ notis delectationes deliberatas arguunt. Idem dicendum de textu *secundo*.

*Inst. 5.* Experientia constat, tanto vehementius nos aliquid velle, quanto ardentius id nos delectat; et videtur contra rei naturam, ut delectatio minor vincat majorem, sicque voluntas non feratur semper ac infallibiliter ad id, quod amplius delectat.

R. Quoad 1<sup>um</sup>. experientiam non id testari in delectatione *indeliberata*, sed duntaxat in libera, ideoque hunc tantum illius *paremiæ* esse sensum: quanto efficacius aliquid volumus, atque hinc deliberate delectamur ardentius, tanto vehementius id facere proponimus, atque ipso opere exequimur.

Quoad 2<sup>um</sup>. D. Videtur contra rei naturam, ut delectatio deliberata minor vincat majorem T. ex dictis contra axioma 1<sup>um</sup>. Videtur contra rei naturam, ut delectatio indeliberata minor vincat majorem *subd.* si comparetur præcise delectatio una ad alteram C. si utraque comparetur ad voluntatis libertatem N.

Delectatio indeliberata major magis sollicitat et inclinât voluntatem ad consensum, quam minor; et in hoc *major vincit minorem*: voluntas nihilominus hinc minus, illinc magis sollicitata et inclinata, nec *necessario*, nec *infallibiliter*, nec *semper* sequitur majorem inclinationem, aut a majore ad assensum determinatur; sed sub ipsa etiam inæqualitate *propensionis* retinet indifferentiam *electionis* et activam, seipsam elective determinat, sæpiusque adoptat minus delectabile præ majore delectatione.

372. *Obj. II.* S. Aug. docet, *omnem gratiam* esse inspirationem sanctæ dilectionis et delectationis. *Dilectionis* L. de sp. et litt. c. 3., *charitatis* L. 1. ad Simpl. q. 1., *amoris* L. Disp. cont. Fortunat., *bonæ concupiscentiæ* L. de sp. et litt. c. 4., *cupiditatis boni* L. 2. ad Bonif. c. 9., *bonæ voluntatis* L. de gr. Chr. c. 24. etc. *delectationis* et *suavitatis* maxime L. 2. de pecc. mer. c. 18. 19. et enarr. in Ps. 84., *dulcedinis* L. 2. ad Bonif. c. 9., *condelectationis* L. 1. de nupt. et concup. c. 30., *jucunditatis* in enarr. Ps. 85., *voluptatis* Tr. 26. in Joan. etc.

R. D. Gratia in sensu absoluto omnis est inspiratio etc. N. in sensu accommo *subd.* est inspiratio dilectionis et delectationis proprie ac strictè sumptæ N. minus proprie ac late sumptæ C. Plus non evinci ex tot nominibus ostendit tum ipsa hæc vocabulorum *æquipollentia*, qua voluntas quæcumque bona charitas appellatur: tum illud, quod sequeretur gratiam esse charitatem *habitualement*, cum etiam illa, quæ diffunditur in cordibus nostris, charitas soleat ab Aug. frequenter pro quacumque gratia usurpari. Porro hic sensus et minus universalis et minus proprius notandus etiam est pro reliquis corollariis et eorum probationibus.

*Inst. 1.* Delectationem hanc sanctam et gratiam habere suos *gradus*, nec

semper esse *efficacem* et conjunctam cum effectu, patet tum ex *verbis* Aug. serm. 17. de verb. Apost. c. 2. (al. serm. 139. n. 2.). *Amanda est justitia, et in justitia amanda gradus sunt proficientium*; et L. de gr. et lib. arb. c. 15.: *Gratia Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis... per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit*. Tum ex *conversione* S. Aug., quam ipse in Libris Confess. descripsit: in hac enim Deus primum data gratiæ suavitate oppositas cupiditates reddidit minus jucundas, ut ait L. 6. c. 5.; tum conscientiæ stimulis illum pupugit L. 7. c. 8.; postea cœpit ad bonum incommutabile trahere ibid. c. 17.; consecuta hinc est charitatis et cupiditatis pugna L. 8. c. 5.; succedente deinceps nova gratia impediatur vis concupiscentiæ et relapsus in pristina peccata ibid. c. 11.; tandem obtenta est victoria jucunditate maxima consecuta, ut L. eod. c. 12. narratur.

R. Quoad 1<sup>am</sup>. p. D. Sancta delectatio et gratia habet suos gradus hoc sensu, quod alia sit remote, alia proxime sufficiens, vel alia sit gratia ad volendum, alia ad exequendum, vel alia det simpliciter posse, sed cum quadam difficultate, alia vero etiam cum facilitate C. hoc sensu, quod e duabus *gratiis vere sufficientibus* sive ad volendum, sive ad agendum alia vel absolute in se, vel relative ad oppositam concupiscentiam sit minor, et hinc non præstet ad volendum vel agendum, alia vero tanquam absolute vel relative major id præstare queat N.

Quoad 2<sup>am</sup>. p. D. Gratia non est semper efficax ob hominis arbitrium libere eam respuens C. præcise ob minores virium gradus, aut oppositæ cupiditatis indeliberatæ majorem resistantiam N. Textus *prior* ad delectationem maxime indeliberatam plane est impertinens: *alter* sive de gratia successive majore, sive de eadem gratia successive majorem effectum obtinente agat, nihil adversariis favet; cum plenus et perfectus effectus non in *gratiæ entitate*, sed in voluntatem adjutam ac deliberate agentem referatur: item tenet de postremo, in quo sub nomine *parvæ gratiæ* intelligi gratiam orationis ac remote sufficientem n. 330. ostensum est.

Demum *conversionis Augustinianæ* exemplum probat quidem varietatem gratiarum, luctam gratiæ cum cupiditatibus, et successivum salutis profectum, quæ omnia et nos admittimus; non vero probat, aut gratiæ *minoris* insufficientiam, aut *majoris* necessariam vel infallibilem vim, aut inefficaciam præcise ex indeliberatæ cupiditatis superioritate profluentem.

Inst. 2. Delectationem victricem esse gratiam efficacem, patet rursus ex Aug. L. de gr. et corr. c. 11. n. 31.: *Secunda (gratia) plus potest, quæ etiam fit, ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*. L. de sp. et litt. c. 29. n. 51. *Inspirata gratia suavitate per Spiritum sanctum facit plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit*; L. 2. de pecc. mer. c. 19. etc.

R. D. Delectatio scilicet indeliberata victrix, h. e. habens in se majores suavitatis gradus, quam opposita cupiditas, est semper gratia efficax N. victrix, h. e. quæ, quamvis gradibus minor, ita allicit, vel allectura prævidetur voluntatem, ut ipsa ampliorem delectationem ex libera electione sua habeat in bono proposito, quam in malæ cupiditatis illecebris C. vel *subd.* est aliqua gratia efficax C. est omnis seu convertibiliter gratia efficax N.

Sensum nostrum comprobant ipsa Aug. testimonia, quia in prioribus omnibus superioritas et victoria non adjungitur delectationi *indeliberatæ* seu entitati gratiæ, sed delectationi *deliberatæ*, seu voluntati et dilectioni: hoc ipsum etiam asserendum esse de postremo, liquet ex *contextu*; ubi posterioribus verbis delectatio per dilectionem liberam explicatur.

Inst. 3. Delectationem victricem necessario sequi voluntatem et effectum, patet ex Aug. L. 13. de Civ. c. 7. *In abundantia gratiæ Spiritus illius, qui ubi cult, spirat, tantum Christum amare possent, ut eum in tanto vitæ discrimine... negare non possent*.

R. D. Delectationem indeliberatam et præcise ex se majorem, seu victricem sequitur necessario effectus N. delectationem vel deliberatam, vel etiam indeliberatam, prout congruam ex divina præscientia *subd.* sequitur effectus necessario necessitate antecedente N. mere consequente C. Responsioni congruit textus AUGUSTINI, in quo *non posse* idem sonat ac *nolle*; quod patet tum ex his præcedentibus: *Qui mortem, cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire vitam*, etc., tum ex iis, quæ sequuntur: *Quibus cum tanta gratia est præmissa et prærogata mors Christi, ut ad eum acquirendum suam non cunctarentur impendere*.

372. Obj. III. Systema delectationis relative victricis, prout a Catholicis adoptatur, satis differt a *Janseniano*; ergo non est rejiciendum. Ant. patet: 1<sup>o</sup>. *Catholici* delectationem victricem statuunt cum indifferentia judicii, et hinc cum vera libertate conjunctam: *Janseniani* autem eandem penitus sejungunt a deliberatione et indifferentia judicii: 2<sup>o</sup>. *Priores* volunt, ex victrice delectatione sequi duntaxat infallibiliter effectum, et voluntatem nunquam ponere oppositum delectationi superiori: *posteriores* amplius quid exigunt, ac delectationi tribuunt: 3<sup>o</sup>. *Illi* necessitatem solum improprie dictam admittunt: *hi* proprie dictam intelligunt.

Ad arg. R. 1<sup>o</sup>. N. Cons. Nobis non tantum animus non est, Catholicos auctores qui propositiones *Jansenii* damnatas detestantur, et formulæ Alexandrinæ sincera mente subscripserunt, aut, si opus foret, subscribere parati sunt, invidioso *Jansenistarum* nomine compellare; sed nec eorum opinionem, quod alii faciunt, censura notamus. Unde quæ hactenus dicta sunt, tanquam argumentationem theologiam more in Scholis usitato protulimus: et alias addidimus rationes, ex quibus falsitatem systematis probare contendimus.

R. 2<sup>o</sup>. N. A. Ad prob. R. Quæ ibi *discrimina* afferuntur, non sufficere, cum eadem a celeberrimis *Jansenii* discipulis admittantur. Quoad 1<sup>am</sup>. enim Petrus Nicole sub schemate Pauli Irenæi Disq. 6. a. 4. ita scribit: *Speciali hujus status et viæ conditione fit, ut nihil homini proponatur ad merendum et demerendum, nisi per judicium indifferens*.

Quoad 2<sup>am</sup>. Abbas de Bourzeis Collat. 4. c. 29. ait: *Quando dicimus, non posse dissentiri gratiæ efficaci, tantum volumus intelligi per eam impotentiam, quod nunquam contingat huic dissentiri*. Similia Paul. Iren. Disq. 6. a. 3. profert.

Quoad 2<sup>am</sup>. de la Lane in Conformitate Thomistarum cum Jansenio part. 2<sup>a</sup>. inquit: *Hæc necessitas impropria tantum est, quæ significat tantum certitudinem effectus, quæque nullo modo excludit potentiam ad oppositum*.

Itaque oportet non tantum indifferentiam iudicii mere speculativam, sed practicam, infallibilitatem non antecedentem, sed tantum consequentem, necessitatem non ortam ex superioritate gratiæ, sed in liberi consensus prævisione fundatam admittere, ut vera differentia interveniat.

*Inst. 1.* Hoc systema male rejicitur tanquam inimicum *libertati humanæ*. Nam delectatio sancta victrix, in qua statuitur gratia efficax, nihil aliud est, quam delectatio *moraliter* determinans, vel ita movens voluntatem ad assensum, ut reddatur *moraliter* impossibilis dissensus: sed delectatio sancta *moraliter* determinans vel ita movens voluntatem potest dari etiam sine læsione libertatis, ut etiam e *Societate* admittunt SUAREZ, RIPALDA, TANNER etc., atque tum paritas cum tentatione gravi, tum timor mortis temporalis et amor vitæ corporeæ naturaliter impressus, et tamen cum libertate composibilis ostendunt; ergo.

R. N. *Ass. Ad prob. D. M.* Gratia efficax et victrix delectatio nihil aliud est, quam delectatio qualiscumque, et quomodocumque *moraliter* determinans etc. N. quam delectatio systematica et certa lege *moraliter* determinans C. M. Similiter D. m. sed delectatio qualiscumque, seu quomodocumque *moraliter* determinans potest dari sine libertatis læsione T. systematica, seu certa lege determinans N. Delectationem relative victricem ex legibus systematicis hactenus expositi esse inimicam libertati liquet ex probationibus allatis.

Præterea, cum hic statuatur, voluntatem non posse agere *nisi ex delectatione*, nunquam etiam agere secundum delectationem *inferiorem*, aut ubi delectatio utrinque est *æqualis*, ac tandem infallibiliter agere secundum delectationem *superiorem*; sequitur omnino, delectationem victricem esse unicum antecedens ac inevitabile principium determinationis, voluntati vero nec electionem, nec, si vim determinandi etiam habet, usum et exercitium relinquere. Quare nihil juvat, a laudatis Auctoribus admissam esse *delectationem aliquam*, quæ illæsa hominis libertate *moraliter* certo connectatur cum voluntatis assensu, nisi ostendatur, ab iisdem etiam idem systema et omnem *delectationis relative victricis* œconomiam esse adoptatam.

*Inst. 2.* Inter Catholicos hoc systema mitigatum imprimis approbarunt Card. Laurea in Opusc. 3. de gratiis actualibus, et D. d'Aubigné Archiep. Rothomagens. in Docum. pastorali an. 1708.; tum illud præformarunt Francisc. Macedo in Cortina et Scrinio, Cardinalis Norisius in Historia Pelagiana, et Antonin. Massoulié in D. Thoma sui interprete: demum aperte propugnarunt Nicolaus l'Herminier in summa Theologiæ, Gaspar Juenin in Institutionibus Theologicis, Ludov. Habert in Theologia Dogmatica et Morali, Berti in Disciplinis Theologicis, aliique plures; ergo cum horum fides et doctrina non sit suspecta, systema delectationis victricis tanquam innoxium agnoscere debet.

R. 1<sup>o</sup> Plures sunt, qui negant partim *Ant.*, partim *Cons.* Prius quidem, quia contendunt *Lauream* hoc unum docuisse, quod ex gratia delectatio quædam velut ex causa effectus profluat, sed quæ sit motus omnino deliberatus et ex determinatione voluntatis propria ortus.

*Aubigneum* voluisse solum, sententiam ideo præcise non mereri censuram, quia vim et efficaciam gratiæ in victrice delectatione ponit, cum sensus Catholicus subesse possit.

*Macedum* asseruisse quidem gradus gratiæ diversos, nec ad omnem ejus

sufficienciam postulasse potestatem operandi proximam et expeditam, quin tamen reliqua systematis capita admitteret.

*Norisium* in vindiciis ter repetendis priora sua asserta attemperasse vel explicuisse, ut cum Macedi sententia convenire se doceret.

*Massoulieum* male sensisse, utpote quem Tournelius Tr. de grat. Quest. 3. sub finem ostenderet, deserta hic schola Thomistica ad Jansenianos transiisse.

Posterius vero, quia contendunt consequens supponere falsum, cum posteriorum Auctorum fidem et doctrinam plane suspectam reddiderint non solæ Theologorum denuntiationes, sed Episcoporum gravissima iudicia in mandatis suis et documentis pastoralibus. Ex eorum pluribus sufficiat laudare Episcopum *Vapincensem*, qui an. 1711. Summam l'Herminierii etiam secundo editam; Card. de Bissy Ep. Meldensem, qui an. 1711. institutiones Juenini, et an. 1712. animadversiones pro eodem auctore scriptas; Fenelonium Archiep. Cameracensem, qui an. 1711. Theologiam Lud. Haberti frustra defensam; *Saleonium* Archiep. Viennensem, qui an. 1744. Disciplinas Berti censuris theologicis affecerunt et prohibuerunt.

R. 2<sup>o</sup>. *Transeat* totum; quia nostrum non esse putamus, Catholicorum scriptorum positiones hæreseos aut erroris damnare. Sufficiat nobis oppositæ sententiæ falsitatem ostendisse, quæ non hoc ipso etiam abstergitur, si ut ab errore libera modestiæ ergo permittatur.

## ARTICULUS III.

AN EFFICACIA GRATIÆ STET IN CONGRUITATE AUXILII QUALICUMQUE?

373. *Nota.* Efficaciam gratiæ in actu primo explicandam esse per *congruitatem* quamdam seu aptitudinem et proportionem auxilii ad effectum infallibiliter obtinendum conveniunt omnes, qui tum phrasin S. Aug., tum sensum, in explicanda gratiæ efficaciæ notione sequuntur. Is enim, ne quid ex aliis ejus scriptis proferam, L. 4. ad Simpl. q. 2. n. 13. loquitur: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci electi: illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis; quia nullius Deus frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Diversitas tamen est *in modo* exponendi congruitatem etiam eam, quæ non mere interna est auxilio, nec in certa ac infallibili motione morali superioris refutata consistit, sed quæ externa est, et ab adjunctis petitur. Nam alii eam ponunt præcise in habitudine ad effectum futurum seu eventum, quod MOLINE tribuitur: alii in contemperatione quadam cum hominis ingenio, natura, affectibus variisque locorum ac temporum circumstantiis, ut SUAREZ addit: alii in multitudine, varietate, consonantia et conspiratione plurium auxiliorum, quorum quidem singula effectum suo possunt seorsim